

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Quistorp Johannes Henning

Dissertatio ... Ad Universalem Historiam

Rostochii: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730224988>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1646
Johannes Quistorp
Johannes Henning



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730224988/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730224988/phys_0002)

DFG

IN NOMINE JESU
DISSERTATIO

Εἰσαγωγὴν

Ad

UNIVERSALEM
HISTORIAM.

Quam
Auxiliante D E O

Suffragante Amplissima Fa-
culty Philosophicæ in Illustri Ro-
stochiensium Universitate, Publico eru-
ditorum examini submittunt

M. JOHANNES QUISTORPIUS,
Rostochiensis

JOHANNES HENNINGIUS,
Lübecensis

In Auditorio majori XVIII. Cal. Decemb.
boris antemeridianis.

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typogr.
Anno M DC. XLVI.

1646



JEHOVA auspice.

THEISIS I.

SPhingem appungi solitam forib^t tem-
plorum Ægyptiorum , ait Clem. Alex. s. Strom.
ut omnia quæ de Deo naturaliter scimus, ob-
scura & ænigmatibus quasi involuta esse indica-
ret: eandem etiam in vestibulo amplissimi Hi-
storiarum theatri, collocari posse , facile largi-
munt, cum difficultatibus ac scirpis abundet , & ad plenam ejus in-
dagationem Oedipo sit opus. Procul dubio huc respexit Philipp.
Melancht. in præfat. chronici, scribens ; Esse omnino sapientia
& eloquentia opus Historiam. Quorsum referimus Sidenij respon-
sum, qui cum à Leone, Theodorici Regis Gothorum Consiliario
invitatetur, animum ut scribendis historiis adjungeret, modestè id
declinavit, & se excusavit, in lib. 4. epist. suarum.

§. 2. Attamen, ut sponsi illi Penelopes per ancillas, ad domi-
nam affectabant viam ; ita si nobis justam in legendis historiis me-
thodum, & delectum eorundem concilia verimus, nos aliquo mo-
do ad historiarum adyta admissum iri pro persuaso habemus. Ana-
xandridis comici nobis imitandus fervor, qui nisi victor abiret, non
opus ad incudem revocabat, sed consindebat chartas.

§. 3. Est Historia quasi Liber & Tuba viventium, quâ mor-
tui in medium producuntur, sicuti Nicetas eam eleganter nomi-
nat; dicta ab iōgeīv, Coram spectare, inquirere, quod in eâ res ge-
stæ coram quasi inspiciantur, vel quod ab illis scribi consueve-
rit, qui rerum cognitionem habeant, sœpq; rebus gestis interfue-
rint: quod innuit Plaut. in Menæchm. quin nos hinc domum re-
dimus, nisi si historiam scripturi sumus. Ad idem ētūμον Gellius
lib. 5. c. 18. respicit. Alias Plato illam format à m̄ t̄ 1529 d̄ aī r̄v
C 2 p̄ 873

psv, quod labentium rerum fluxum sistat, adeoq; memoria huma-
næ, fluxæ, & labili, consulat. Inde Cic: pueros illos appellat, qui
nihil earum rerum sciunt, quæ facta sunt, antequam nati sumus.
Cognoscere verò res gestas memoriam veterum, ordinem tenere
antiquitatis, exemplorum omnium habere notitiam, hoc est, per
Historiam diffuentem quasi sistere memoriam.

S. 4. Nou enim hic vocem Historiæ latissimè sumimus, pro de-
scriptione sc. cuiusq; rei: quo in significatu Arist. Animalium,
Plin. Naturalem, Tœphr. Plantarum historiam scripserunt: Sed
specialiter historiam illam intendimus, quæ est Notitia seu Enarratio
rerum singularium, inter homines gestarum, vel, ut planius nos
explicemus, Historiam esse afferimus: Individualē Instrumentāsam
cognitionem, rerum Ecclesiasticarum, Politicarum, quatenus circum-
stantiis singularibus vestita sunt, eò directa, ut Universalia ex iis
evidenter à nobis intelligantur & conformatur, & sapientiores ac
prudentiores fiamus.

S. 5. Mittimus itaque illos, nescio, qualem fingentes historiam,
quorum quidam eam ad Disciplinam referunt alii. Pruden-
tiam illam esse statuunt, cum tamen ne Habitus quidem & Disci-
plina sit: nec è cognitione Historiæ ulla operatio seu πράξις re-
ctæ rationi consentanea per se eliciatur. Quintil. lib. i. Instit. cap.
9. Historiam partem grammaticæ statuere videntur; Grammaticam
dispescens in Methodicam & Historicam. Qui hæc plenius novisse
volet, adeat alios, qui super his ex professo scripserunt.

S. 6. Memoria in Historia sibi primas partes non injuria ven-
dicit, dum ad modum receptaculi Historiam servatam tenet. Hinc
est, quod mulierculæ, & hi, quorum memoria rebus gravioribus
haud obruitur, facile historias apprehendunt, & vel prolixas, ita
propemodum, ut acceperunt, referant. Alias nemo negabit &
Libros historiarum, in quib[us] historiæ consignatae sunt, analogicè
earundem receptacula dici posse.

S. 7. Hinc in propatulo esse putamus, Historiam ritè nomina-
ri enarrationem rerum singularium perspicuam & methodicam.
Sciendum autem, enarrationem vel esse διεξοδικήν, quâ non modo
res gestæ, sed & causæ ac consilia eventuum perpetuō ac luculen-

to discursu exponuntur; prout apud Græcos olim Xenophontem, Polybium, ap. Latinos Julium Cæsarem, Livium & alios, historias scripsisse in proelivi est: vel Chronologicam, quâ iij usi sunt, qui Factorum seu Annalium enumeratione, succinctè monstrant seriem temporum, hos inter numero Calvissum, & alios: sive ~~magister~~
~~μαγιστρὸν~~, quâ ex omnibus historiis illustria virtutū ac vitorum exempla ad certos locos communes rediguntur, quod fecit Plutarchus, Valer. Maximus, nostro seculo Zyvingerus autor theatri vitæ humanæ, & alii.

§ 8. Si Historia, eam nosse volentis, memoria imprimenda, sedulâ id sit lectione, repetitione, ruminatio; si chartis committenda, Historici ex penuria rerum gestarum, quem memoriam circumferunt, eandem depromptam, recenserent.

§ 9. Hoc modo adornata Historia, non solum huic inservit usui, ut Universalia ex Singularibus deducantur, & deducta per singularia confirmantur, illaque ad universales regulas revocentur: vel in iis Jucunditatem sive animi oblectationem, vel Antiquitatis cognitionem, quorsum Ciceronem in illâ sua Historiæ commendatione respexisse, arbitror: Sed hic finis maximus est: ut inde sapientiores ac prudentiores efficiamur, quod Dionysius Halicarnass. lib. I. Hist Rom. Historiam ἀρχὴν Φεωνίος Θ. νῷ σοφίας, nominans, intendit.

§ 10. Est pol Utilitas Historiarum summa; Audiamus Livium lib. I. in prefat: ita differentem: Hoc est illud primum, inquit, in cognitione Historiarum utile & frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento, intueri: inde tibi tuæ; Reipubl: quod imitere, capias; inde fædum inceptu, fædum exitu, quod vites. Zeno Philosophus, teste Laertio cum honeste vivere, & ab oraculo informari petere: ut Mortuos consuleret veterum sapientum libros tractaret, jussus est.

§ 11. Si intuemur Themistoclem, quid illum inter mortales reliquos insignem fecisti nisi Historia; quod apete fatetur, dum acta Miltiadis in campo Marathonis somnum sibi excusissime dixerat, Atq; ita hujus viri Heroica facta ad virtutem inflammavit, & à vitiis abstraxerunt. Plutarchus sub initium statim in viuis suis, de Theseo memorat, quod Herculis virtutes admirans, ejus res gestas

per noctem somnia retulerint, eas inter diu ipsum instigasse & ini-
latione, ut eadem facere cogitaret. Scipio Africanus, cum Cyropa-
diam Xenophontis animo penitus haberet comprehensam, ex eaq;
omnes omnium virtutum ac laudum cumulos collegisset, tantus
evasit vir, ut non modo bellum ingens in Hispania (sic enim Livius
scribit) non alia de causa exarserit, quam ex admiratione Scipionis,
aliorum Imperatorum orto contemptu, ut habet Bodinus in pro-
mò. method. Historiarum.

§. 12. Hunc igitur gloriae fructum his attulit Historia, Rem o-
mnem Claudiani verbis, quibus ille Honorium Imperatorem ad
Historiarum lectionem incendit, complectat.

Antiquos evolve Duces, assuesce futuræ
Militiae, Latium retro te confer in ævum.
Libertas quæ sita placet? mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Metii sanabere pænis.
Triste rigor nimis? Torquati despue mores.
Mors impensa bonū? Decios venerare ruentes.
Vel solus quid fortis agat, de ponte soluto
Oppositus Cocles, Mutij te flamma docebit.
Quid mora perfringat; Fabius: quid rebus in ar-
tis
Dux gerat, ostendit Gallorum strage Camillus.

Hujusmodi ab Historia fructus sperare oportet.

§ 13. Hos ex illis prodeentes fructus, ex Historiæ scientiâ sibi
ejus cultores promittere habent, horum nos paucos recensemus;
cujusmodi sunt: 1. *Consilij dexteritas*, quod Lucianus confirmat
lib. de scribendâ Hist. his utens verbis; Historiam suppeditare, ut
optimâ discamus & faciamus, quæ possumus æmulatione optima-
rum, & fuga pessimarum: sicut in Herodoto legentes, fiduciam,
quam in viribus humanis & omnium rerum abundantia, Crœsus
& Xerxes collocarunt; ipsis exitio faisse: in Thucydide pertinaciam
Periclis res Atheniensium fregisse: in parallelis Plutarchi, ηγαολη-
λιαν

Alia Demosthenis, Atheniensibus detrimentum attulisse! id colligant, Consilia ex hujusmodi fontibus promanantia, infausta esse, ac cane & angue pejus fugienda, conf. Andream Franckenbergium pag. mihi 290 & seqq. Hoc respexit Alfonsus olim ille ex miis Regum, interroganti, qui consiliarii optimi essent, respondens, Mortuos: libros sc. & monumenta, scripta politica intelligens, qui nihil blandientes, nihil celantes, puram putamq; propinat veritatem.

S. 14. Suppeditat insuper Historia *Consolationem* efficacem, tam in necessitatibus publicis, quam privatis. Sistamus nobis ante oculos ex *Gell. noct. Att.* lib. 1. cap. 17. uxorem morosam Xantippem Socratis, quantâ cum animi æquitate toleraverit faminæ ingenium intractabile? quam ob causam? ut, cum illam domi talet experiat, insueceret, & exerceatur, ut cæterorum quoq; foris pertulantiam & injuriam facilius ferret. Si simile quid experiris, & consolatione indiges, Socrate utere præente. Plura in hanc rem qui volet, consulat Franckenberg, in institut. Antiquit. & Historiarum, & quod desiderat, inveniet.

S. 15. Accedit porro *virtus σοχασινη*, quæ etiam ex historiis propullulat, quando ex præsentibus futura divinare commode licet. Quid enim obstat, quo minus subsumere possit quisquam: Hæc & illa regna tam diu steterunt. E, procul dubio, nec hoc vel illud consistet diutius? Sicuti de periodo fatali quingentorum annorum referunt Annales, ad quam congruunt insignes mutati ones plurimæ in Ecclesia & Republ. de paribus idem formare licet judicium. Exempli causa, Quingenti vel circiter anni, ab Exitu ex Egypto, ad primi templi ædificationem; Item à Saulo usq; ad egressum ex captivitate Babylonica; Item ab Eldra instauratore reipubl. Judaicæ, ad usq; ultimum excidium ejusdem sub Vespasiano, Regnum Atticum à Cecrope ad Codrum; Spartanorum regnum à Lycurgo ad Alex. M. numerat 500. annos. Alia regna dimidium hujus attingentes, sicut Romanorum Historia illud ostendit: ubi singulis circiter 250. annis, regimen illorum novam induit formam, Unde à L. Floro in prologo lib. 1. 250. anni Infantiae sub Regibus. 250. Adolescentiae sub Coss. usq; ad Q. Fulvium: & vicissim 250. ab hoc ad Cæs. August. computantur. 250. Alex. & fusces.

succeſſorum duravit. Quid ni hinc de moderno quolibet regno 'ali-
quod præſagium haurire possemus? His & ſimilibus Historia ſuos
inſigues facit Alumnos.

§. 16. Nihil dicam de ſumma *Suavitate ac Voluptate* hujuſ ſtu-
dii, quæm ſecuto fert: quomodo Alex. M. Trojanam Historiam
apud Homerum intentè legens, in rebus ad votum non fluentibus,
omnem deposuerit triftitiam. Qua ratione Alphonsus & Ferdinandus,
Hispauiae & Siciliae Reges, ille à Livio, hic à Q. Curtio, valetudi-
nem amissam, quam à medicis non poterant, recuperarint, *Bedinus*
in meth. Histor. refert.

§. 17. Hujusmodi cum cuilibet Historiarum Studioſo obvia,
miſſa ea facio, nec vino vendibili ſuſpendo hederam. Pergo ad ve-
ras Historiarum *proprietates* quibus illa à quibuscumq; narrationi-
bus diſcernitur.

§. 18. Hujusmodi ſunt i, *Veritas*, Præcaveat id maxime Histo-
ricus, ne, quid falſi dicere audeat: eſt enim Historia veritatis Imago,
& rerum geſtarum veluti Tabula, quæ in clarissima luce omnibus
ad judicandum proponitur. Laudem hanc tribuo (obloquantur
licet quidam) Herodoto, qui ſuis ſive oculis, ſive auribus uſurpavit
ea, quorum Historiam conſcribere in animo habebat, ſicut id lu-
culenter conſtat ex ejus *Euterpe*. Laudo Thucydidem, qui ſuam
ſcripturus Historiam, tam in hostium, quam proprio exercitu Co-
rīcēos quosdam aluit, ſingula accurate notantes, unde ſibi de ve-
ritate optimè conſtaret. Commendo Xenophontem, illorum quæ
ſcripsit *anabasis*. Laudem hanc meretur Polybius, Scipionis Afri-
cani geſtarum ſcriptor & comes, ac Julius Cæſar, qui rebus à ſe ſcri-
ptis non ſolum interfuit, ſed & præfuit. Idem à quolibet exigimus
Historiographo, alias ſi vera conticescit, non Historicum, ſed Aſo-
pum quendam refert, ejusq; ſcripta fabulis Amadisi, quas Gorrens
Parisienſis compilasse dicitur, ſimilia eſſe afferimus.

§. 19. His nitentes rationibus, ac exemplis, *Lipſium* non pro-
bamus in Epift: quadam de ſtudio Historico, qui partitur Historiam
in fabuloſam & veram: Nulla namq; ratione ſub censum Historiæ
ſtiftitia & fabulosa veniunt. Dum hanc in Historiographo requiro
veritatem; non diffiteor, fieri poſſe, ut alicubi ab ea deflectat, & vir-
gulā

gulà censoria notari possit quis enim omnia coram intueri poterit,
unde ipsi constat, referentem, rem, ut acta est, accurate notasse &
retulisse? Hinc non culpamus Picum Mirandulam tom. 2. operum
l. 2. de exam. doct. cap. 37. dicentem: Nemo est Historiorum,
qui non falsa habeat. *Flavius Vopiscus* de Aureliano Imperatore lib.
3. fatetur: Neminem scriptorum, quantum ad Historiam pertinet,
non aliquid esse mentitum. & esse, in quo Livius, in quo Salustius,
in quo Tacitus manifestis testibus convinci possint: ut *Seneca* il-
lud lib. 4. natural. quæst. cap. 3. Penes autorem fides esto, quandoq;
usurpare necesse habeant. Hujusmodi errores apud Historicos qui
novisse, voleat, vid. logic. R. Crakanthorpi, in loco arguendi ab au-
thoritate pag. mihi 463. Hac causâ moti Turcæ nulli Historico
credunt, quod putant, Historias ab iis scribi non posse, qui alienam
fidem sequuntur: multo minus ab iis, qui rebus affuerunt aut præ-
fuerunt, cum de seipsis multa mentiantur, aut Principum metu vel
præmiis vel odio distracti, à vero deflestant &c. Interim, quicquid
hujus sit, id sedulo agat Historiographus, quo fide dignos testes ad-
hibeat, accurate in rem omne inquirat. & illud. Quid, Quando,
Vbi, diligenter notet.

§. 20. Ad Veritatem accedit, secundò *Soliditas*, gravia, publi-
ca, quæ ad Historiarum finem faciunt, prudentiam solidam conci-
lliant, & Intellectum practicum roborant, scribat. Quo nomine
Capitolinus, *Cordianus* reprehendit, quod minima quæq;, & nescio
quæ obscura Imperatorum dilucide & diligenter persecutus est:
quæ cum nec ad Prudentiam, nec ad Sapientiam quicquam faciant,
filuisse præstisisset. Utrum enim sciamus, Regem quenquam se pti-
mâ surgere, de die bis cibum sumere, inter venandum decem' vel
viginti animalia reti constrinxisse, nil in hoc studio nos juvat.

§. 21. Quamvis nec privata ac minuta omnia aspernamur, in
quibus quicquam insigne reperitur, cuiusmodi à *Polybio*, *Livio*, *Sue-
tonio* & aliis sæpiuscule relata legimus. Huc quoq; pertinet, nescio,
quæ referuntur, nimis longè petita, quia talia mulsum falsitatis se-
cum trahere solent. Quare *Munsterus*, non sine risu legitur, quando
minima & fabulosa de remotis Garamantis, Indis & Africanis re-
fert, quos ipse populos nec vidit unquam, nec quæ de illis recenet,
ex fide dignis didicit, quæq; ipsa refellit experientia.

S. 22. Occurrit tertio loco *Integritas*; cuius beneficio Historicus ab omni affectu odio & gratiae immunitis est, suumq; judicium haud facilē interponit; non laudat nimium nec vituperat: & rem, ut est enarrans, legentibus judicium integrum relinquit. His de causis reprehenduntur inter Italos, *Jovius, Perrarcha, Bocatius* suos tot ac tantis laudibus cumberantes; ut ne ipsi quidem Romani sine fastidio id ferre queant. Contra hostes, de quorū virtutibus constat, qd. sceleratos & ignavos traducere non erubescunt. Meminit *Bodinus* in methodo cap. 4. pag. 46. alicujus anonymi Scriptoris, qui Henrici Regis Gallie bella cum Carolo V. Imperatore gesta, complexus est, judicem utriusq; se ferens, Regem suum ad cælum usq; laudibus extollens, Cæsarem autem, proh quantus obliterat commatibus! *Quis non avertetur hujusmodi Historicos*, quā, cum nullo munere publico functi sint, in oecultis latitarint, & tamen de moderandis ritè Regnis ac Rebus publ. suarū ferre sententiam audent, quos,

Si foret in terris rideret Democritus:

eos qui nunquam acies viderunt, nec tarantara clangentem audiverunt, de modo belligandi Cyro, Alexando, Cæsari, Jura & regulas prescribere non verentur. Anne verimini, qui tales estis, ne in vos dicatur quod de Ludimagistro, coram se, de modo recte militandi, & in castris versandi Hannibal dixit? Apellis illud in vos quadrat, Ne sutor ultra crepidam. Attende, quam candide hic versetur Cæsar, qui suam Historiam nudè, simpliciter, omnibus detractis figuris, cuiusq; judicandam reliquit, & Virtutem etiam in Hoste laudare non intermisit. Hujus legis observantissimus Xenophon deprehensus fuit: hos, & hujus generis Authores alios imitandos sibi proponat.

S. 23. Interim Historiam lectuti, id vobis dictum habete, ne nimis credulos vos omnibus præbeatis: id maximè attendite, qualis is sit, cuius scripta per volvit. Diversæ religionis homines, aut quorum animi odio sunt fascinati, de illis, quos odere, fidem omnem excedentia saepissimè scribunt. Inter quos sunt illi, qui de vita Lutheri scribentes, Lutherum ex incubo ortum, ejusq; matrem ex aboli coitu concepisse scribit, *Fontain* in sua gallica Hist. Hujus factæ sunt *Hieronymus Bolsecus*, Medicus Lugdunensis in vita Calvini: & *Felicianus Nigardus* in Historia Anna Burgensis Martyre.

S. 24.

S. 24. Brevitati quoq; quantum res admittit, studebit Historicus: nec *Colophonum* imitetur, cuius *Plutarchus* melius adolerias circa suum meminit, qui aggressurus belli Thebanam materiam, vigesimum quartum volumen impleverat, antequam Duces Thebas usq; perduceret, ut loquitur *Caselius* in notis ad Plutarchi adductum locum: Procul hinc relegamus hos spermologos, qui non Historicos, sed Andabatas agunt, quapropter ipse *Herodianus* apud quosdam male audit: Nec *Martinus Crusius* Doctiorum censuram effugere potuit, quod Historiam Suevicam infinitis digressionibus & extravagantiis onerat. Licit *Bodinus* quidem Rethoricae licentiam concedere videatur, quia id magnos Historicos factitasse, pro comperto habet, sicuti *Tacitus*, *Procopius*, *Vives* &c. nos, ut diversum sentiamus inducer; horum enim digressiones non frustra instituuntur, certisq; rationibus falcitae sunt: manet interim, quod quarto loco de Historiographo, Breverem illum esse debere diximus.

S. 25. Accedit ultimo *Perpicuitas* Atticum & medij characteris stylum commendamus, grandis & luxuriosus, ut & laconicus nimisq; concisus, hic minus conveniens est, hoc est, quod *Cicero* in *Bruto* vult: Nihil in Historia illustrius esse, pura & illustri brevitate. *Pollio* apud *Quintilianum* lib. 8. cap. 1. Livium carpit, & illi quandam Patavinitatem inesse dicit: at, si penitus oculos in rem attendamus, aliter sentiemus: de hoc argumento plura cognoscere desiderans, conferat *Patritium* dial. 1. de Hist. & *Quintil.* lib. 4. cap. 2.

S. 26. Ex his quæ diximus, in aprico esse putamus, quæ ab Historicis requirantur Collaturus hodiernos Historicos cum veteribus, hos illos post se multis parasangis relinquere videbit.

S. 27. Olim nemini Historias scribere permittebatur, nisi, qui multarum rerum experientia edoctus, ad id idoneus judicabatur. Hinc apud *Hebraeos* scribendæ Historiæ negotium Sacerdotibus & prophetae commendabatur, *Iosepb.* lib. 1. contra Apionem. *Romani* prisci jus ac potentiam conscribendæ Historiæ, penes Summum suum Pontificem esse voluerunt *Cicero*: lib. 2.

de Oratore. Apud Chaldeos penes Sacerdotes regni istius, ut
habet *Metasthenes*: apud *Egyptios* & que Sacerdotibus hoc compe-
tebat, ut scribit *Theodorus Siculus* lib. 2. cap. 1. Apud Persas penes
Magos i. e. regni sapientissimos publica Animalium fides, ac po-
testas temporum consignandorum & rerum conscribendarum
fuit, *Cic* : lib. 1. de Divinit.

§. 28. Regna hæc, orbis quondam capita, id suâ hac circum-
spectione effecerunt, ut & hodie, quæ apud ipsos verè gesta sunt,
legantur. Nostra tempestate, horum licet messem metere ma-
ximam, qui fabulas quascunq; & vulgi mendacissimos sermones
in chartas coniijunt, & inde Historicorum nomen querunt.

§. 29. Sufficiat, hæc hac vice de Historiarum natura & propri-
etatibus proposuisse. Modum easdem legendi paucis subnectimus.

§. 30. Primo, Historias lectorus illud Aristotelis observet ne in
lectione Historiarum nimis credulus neg, plane incredulus sit: Ita-
enim nobiscum comparatum est, ut illa laudemus, quæ amicos
concernunt, &, quæ minus laudanda, de hostibus scribamus.
Laudatur *Polybius* in scriptis Romanorum & à Romanis falsa scri-
pta arguit. Et, quomodo illæ veræ Historiæ dicendæ sunt, quæ
perpetuas laudes, nulla virtus commemorant? cum nullius sit illa
perfectio, ut non aliquando hallucinetur ac erret: hinc *Eusebius*
Constantinum M. Leva & Staphylus Carolum V. nimis laudibus
onerantes, simul Oratoris ac Historici officio fungi voluerunt,

§. 31. Deinde *Polybii* notet monitum, omnium rerum seriem
υπὸ μιαν σύνοψιν ἀγεν, καὶ σωματοποιῶν i. e. uno intuitu com-
plecti, & velut in corpus redactam ac certis membris distinctam,
in memoria secum circumferre.

§. 32. In quo hanc observabit methodum, ut ab *Universalibus*
incipiat i. e. ut primò compendiosè Universalem *diatýπωσιν* me-
moriæ commendet & καθ' ὄμάδα positis, Chronologicis supputa-
tionibus contentus: seponat interim argutias & difficultates
Chro-

Chronologicas, quæ etiam in Antiquitate Versatissimos exercēt.

§. 33. Exempligratia, seriem Historiarum à mundo condito ad æram currentem notet, juxta *Vaticinium* cuiusdam *Elie Rabbi-ni* *Judaorum* in 4. parte Talmuth lib. 2. cap. ii. Bis mille annos *תורה*, bis mille legis, bis mille Messiae, tribuentis.

§. 34. Dividat post singulos 2000. annos in duo Millenaria, ita, ut primi Millenarii terminus sit à Mundi initio ad Enochum in cælum sublatum: Secundi ab Enocho ad Sacramentum circumcisōnis Abrahamo commissum: Tertiij, ad Eliam, qui secundus mortalium, in cælum vivus translatus: Quarti terminus esto Saluator Christus: Quinti, Ottimo, 3, sive Gratianus ac Lombardus: Sexti Millenarij terminum adhuc expectamus.

§. 35. Porrò, hos Millenarios in duas partes, seu Quingentos Annos dispescat, ita, ut primi Quingenti anni desinant in nativitate Jaredi: Secundi ab annis 120. pænitentiae: Tertiij, ab ingressu populi Israelitici Duce Josuā in terram Canaan: Quarti, ab Artaxerxe Longimano, sub quo templum Hierosolymitanum reparatum volunt: Quinti, à Cassiodori, Pascasij, Boætij ætate. Sexti, à D. Lutheri reformatione, incipient.

§. 36. Postquam & hæc memorie commendavit, progrediatur ulterius. Exempli causâ cogitet, à mundo condito ad diluvium, annos 1656. à diluvio ad natum Abrahamum annos 292. à nativitate ad ejusdem vocatiouem ex Vr. Chaldæorum 75. annos: inde ad liberationem ex servitute Ægyptiaca annos 430. hinc adusq; templi Salomonæ ædificationem 480. porro ad captivitatem Babyloniam 431. annos, effluxisse. captivitatem ipsam annos 70. du-rasse: Monarchiam Persicam stetisse annos 200. ab Alex. M. adusq; Christum annos esse 328 addatur nobis Christianis, qui à Christi nativitate annos numeramus usitata æra, & sic Vniversalem seriem Historiarum cum ejusdem Chronologiâ, si non perfectè & accura-tè: tamen, quantum à tyrone requiritur, habebit.

§. 37. Simili modo in ipsis *Historiorum scriptū* legendis ver-sabitur: lectionem ab iis auspicabitur, qui generaliter Historiam à condito mundo ad nostra tempora breviter, methodice recenset,

Ab his ab illos progediatur, qui fusi sicut aliquanto eadem professa-
quuntur: Inde ad illos, qui singulorum Regnorum res gestas des-
cribunt, pergit: Post qui specialia referunt, pervolvat.

§. 38. Exempli gratia Legat initio Laurembergij Chronium, Joha-
nus Jonstonij Historiam Civilem & Ecclesiasticam; Scheldanum de
Quatuor monarchiis & similes. Accedat deinde ad Matthiae Dres-
seri Isagogen Historicam, Petavii diarium temporum, Jacobi Cap-
elli Historiam sacram & Exoticam, subiiciat horum lectioni sin-
gularum monarchiarum & regnum scriptores, præmittantur
tamen in singulis qui strictim rem persequuntur e. g. si quis Ro-
manam Historiam memorare velit, primo Sextum Rufum,
qui pagellis quatuor totam Historiam complexus est, teneat, hinc
Flori epitomen, post Eutropium, post Livitam, Polybium, aliosque legat.

§. 39. Si hoc ordine & pacto in lectione Historiarum progressus
sus fuerit, nullus dubito, quin fructum inde uberrimum sit abla-
cetus.

§. 40. Ut autem haec tanto pateant clarius, subiicere placet
compendio, quo se ipsi scriptores Historicorum ordine in sequuntur.

§. 41. Primum locum Moses sibi vindicat, quem seculis ali-
quot omnibus Profanis scriptoribus antiquiore esse non scimus
res a Moses scriptae ostendunt, sed nec ipsi profani authores id ne-
gare habent. Quem aliquot centum annis ante excidium Trojæ
unde antiquissimi gentium suas enarrare Historias incipiunt, vi-
xisse constat; qui volet super hac re post alios, dissertantem videat
Joh. Gerb. Voßium de historicis Græcis, cap. I.

§. 42. Huic si subjungeris, quæ in Joshua, iudicium, Regum li-
bris, Ezechiele & Daniele leguntur, ab Origine Mundi, ad tem-
pora Cyri deductam historiam invenies.

§. 43. Nec diffitemur, teste Metastene, Berosi Chaldaei frag-
menta quædam extare, ab orbe condito, usque ad Sardanapalum;
vid. Josephum Schaligerum, in calce librorum, de Emendatione
temporum.

§. 44. Sa;

§. 44. Sacram scripturam, commode excipit *Herodotus Halicarnassus* qui novem libris, quibus Musarum nomina indidit Lydorum & Medorum in Clio, Egypciorum in Euterpe; Græcorum & aliarum gentium historiam, in reliquis libris recenset; initium faciendo, à Cyro liberatore, ex captivitate Babylonica exeuntium Judæorum: porro Cambyss, Dari Histaspis & Xerxis facta refert, in quo turpi fugâ, ex Græcia domum se recipiente, subficit.

§. 45. Subsequitur hunc *Thucydides Olori* f. Atheniensis libris octo. Qui initio breviter à fuga Xerxis acta, usq; ad bellum Peloponnesiacum, & hoc deinde prolixius, usq; ad hujus belli annum vigesimum, describit: quem elegantibus iypis exscriptum, Anno 1594. nobis dedere Heredes Wechelii.

§. 46. *Xenophon Atheniensis*, in suis ἐλληνικ̄is, coepit à Thucydide Historiam Peloponnesiaci belli, ac eorum quæ Græci post gesserunt, usq; ad pugnam Mantinæ Epaminondæ, libris septem persequitur; qui excusi sunt Græce Venetiis ab Aldo. Idem nobis dedit ἀράβως libros, Cyri junioris, adversus fratrem Artaxerxem Mæmonem bella recensentes, quibus ipse interfuit, & dux præfuit Xenophon.

§. 47. *Diodorus siculus*, qui Plinio teste, in præfatione hist. Naturalis, ad Vespasianum, primus inter Græcos desit nugari 40. libris, seu in Bibliotheca sua Historiam Universalem, à diluvio ad Julium Cæarem complexus est, ex quibus tamen pauci supersunt. Cæteros qui quintum sequentur, usq; ad decimum, & alias quasi deperditos, in Sicilia superstites asservari, & Augustæ Vindelicorum apud D. Johan. Jacobum Fuggerum, ait Conr. Gesnerus in bibliotheca sua: Sed in libris decem, ab undecimo ad vigesimum à bello Xerxis, usq; ad Alexandri M. successores devenit, quorum tempora correspondent illis, quæ decimo libro Livij recitantur.

§. 48. *Livius*, 140. libris, integrum Romanam historiam, à conditâ Urbe usq; ad Augustum, vel annos paucos ante Christum natum complexus est; ex hoc luculento opere, tantum 25 libri restant reliqui interierunt: veruntamen, hujus Epitomator L. Florus, seriem præcipuarum historiarum nobis suppeditat.

§. 49. Post Livium, qui anno Christi 21. obiit, Augusti & reliquo-

quorum Imperatorum res gestas, *Vellejus patereulus*, *Corn.* *Tacitus*,
Suetonius, *Dion Capitolini*, *Lampridius*, *Spartianus*, *Herodianus*, usq;
ad annum Christi 246. pertexuerunt: quos ordine concinno ad
nostra usq; tempora in secuti sunt plurimi, quorum catalogum,
quo quisq; vixerit tempore, quorum historiam descripscerit, referen-
tes vide tum alios, tum inter hos hujus Academiz ornamentum &
decus, anno 1600. sublatum, *Davidem Ghytraum*, in Chronologia.

§ 50. Ut autem quosdam, proximorum temporum scripto-
res habeas, ex eodem authore, haec subscribo verba. Monarchie
Romanae, & Augusti præcipue initia diligentissime descripsit *Ap-*
pianus Alexandrinus lib. 3. 4. & 5. bellorum civilium, & *Dion Nit-*
nus à lib. 4s. usq; ad 57. Sequentium vero Cæsarum Romanorum
vitas, in unum historiæ corpus, vel à *Johanne Cuspiniano Maximili-*
iani Cæsaris Historico, vel in *Antonij Sabelici*, septima. 8. 9. 10.
Enneade, vel à *Johanne Nauclero*, Tübinger Ecclesiæ præposi-
to, usq; ad annum Christi 1500. redactas, studiosi simul perlegant.
Et de proximis, 50. annis *Pauli Jovii Historiam universalem*, splen-
didissime & ornatissime scriptam, & *Francisci Guicciardini* itali-
cam Historiam: quâ nihil sapientius & eloquentius, in hoc genere
elaboratum nostra ætate extat, adjungant.

Sufficient hæc hac vice, de reliquis porro cum Deo,
in subsequentibus dissertationibus agam.

Georg docta

• ♂(o)♂ •
• ♀ •



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730224988/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730224988/phys_0019)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn730224988/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730224988/phys_0020)

DFG

§. 44. Sacram scripturam, commode
carnassus qui novem libris, quibus Mi-
Lyorum & Medorum in Clio, Egypiorum
& aliarum gentium historiam, in reliquis
faciendo, à Cyro liberatore, ex captivitate
Judaorum: porro Cambyis, Dari Histasp
in quo turpi fugâ, ex Græcia domum se rec

§. 45. Subsequitur hunc *Thucydides* O-
cto, Qui initio breviter à fuga Xerxis act:
poneiacum, & hoc deinde prolixus, us:
vigesimum, describit: quem elegantibus i:
1594: nobis dedere Heredes Wechelit.

§. 46. *Xenophon Atheniensis*, in suis è M-
cydide Historiam Peloponesiaci belli, ac
gesserunt, usq; ad pugnam Mantineam Epas:
persequitur; qui excusi sunt Græce Venetii
dedit avâ *Bacchus* libros, Cyri junioris, ad
xem Moemonem bella recensentes, quibus
præfuit Xenophon.

§. 47. *Diodorus siculus*, qui Plinio te:
Naturalis, ad Vespasianum, primus inter
libris, seu in Bibliotheca sua Historiam Un:
Julium Cæarem complexus est, ex quibus
Cæteros qui quintum sequentur, usq; ad d:
deperditos, in Sicilia superstites asservari,
rum apud D. Johan. Jacobum Fuggerum,
bibliotheca sua: Sed in libris decem, ab u:
à bello Xerxis, usq; ad Alexandri M. succ:
tempora correspondent illis, quæ decimo

§. 48. *Livius*, 140. libris, integrum Rom:
ditâ Urbe usq; ad Augustum, vel annos pa:
tum complexus est; ex hoc luculento opere
reliqui interierunt: veruntamen, hujus Epi:
cm præcipuarum historiarum nobis suppec:

§. 49. Post Livium, qui anno Christi 21

us Hal:
indidiv:
æcorum
initium
euntiuta
ta refert,

sis libris
um Pelo:
i annum
, Anno

nà Thu:
ræci post
s septem
m nobis
Artaxer:
, & dux

one hist.
igari 40.
luvio ad
persunt.
ios quâ
ndelico-
snerus in
gesimum
quorum
itantur.

m, à con:
stum na:
ri restant
rus, seri:
ti & reli:
quo-

